



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 3. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

ferior Iudex, pœnam legibus constitutam à se mutari non posse, sed supremi Iudicis arbitrio relinqui, sibi secundum leges sententiam, & pœna concipiendam esse. *l. sicumpater. C. si adv. rem iudicat. S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4. Azor. III. l. 3. c. 23. Dub. 3.*

XII Iudex, qui iustitiam negligit, & sedis Apostolicæ non servat privilegia, Primò suis privilegiis privandus est. *c. Dilecti. de privileg. & ibi Barb.*

Secundò litem suam facit *l. si filiusfam. x. de re iudica l. 2. C. de pœna iudicis, qui male iudicav.*

Tertiò damnum parti læsæ compensare tenetur, licet nemo appellarit, aut appellationem factam deseruerit. *Barr. q. 9. Farinat. q. 111. n. 509. & 53.*

Quartò Criminaliter quoque puniri arbitrio Iudicis potest levius aut gravius pro qualitate delicti. *Tholos. l. 50. c. 2. num. 49.*

Quod verò Indices Ecclesiasticos attingit, eos pœna suspensionis per annum manet, quâ durante, divinis se ingerentes irregularitatem contrahunt. *c. 1. de re iudica, in 6. Farinat. C. cita. n. 71. Schneiderv. l. 4. T. 5. Et à DD. annotatum est pœnam hanc non confundi cum aliis, & valere tribus concurrentibus. 1. quod per sordes vel gratiam. 2. quod contra iustitiam. 3. quod in gravamen partis iniustam sententiam proferat. *Lancel. l. 3. T. 15. Zerola v. Iudex. q. 29.**

Puram negationem seu negligentiam ad incurrendam prædictam pœnam non sufficere, sed quæ cum aliquo actu connecta est. *Barb. in cit. c. Dilecti. bene declarat. Boer. Par. 1. Decis. aur. q. 153. Inson. de action. in bo. fid. §. Præterea.*

§. 3.

Satisfit Dubiis de Iudice.

Dub. I. An quis in propria causa Iudex esse possit.

Vulgò iactatur ex *l. un. C. ne quis in sua causa iudicet.* Nemo iudex in propria causa: nec quilibet aliter sentit, aut loquitur. Causam si quæris, à Philautia, & pravo affectu periculum est. Nemo enim seipsum odio habet. Nihilominus dicendum in foro contentioso quidem ubi Iudex, actor, & reus distincti requiruntur, neminem suis in rebus proprium iudicem esse, aliàs non repugnare. Nam 1. princeps litem contra se à subditis motam, nisi aliud legibus fixum sit, adiutus consilio suorum desistere potest. *l. un. C. si quis principi maledix. 2.* In causa notoria, quod ratione publici officii iniuriam passus sit Iudex, licet ipsi reum abique alio processu punire. *Gaill. l. 1. obs. 39. n. 2. 3.* prælatus Ecclesiasticus in causa Ecclesiæ suæ Iudex est. *Glo. in c. si quis erga. 2. q. 7.* Denique Iudex in dubio an competens, an sua sit iurisdictio, cognoscere potest, ut proced, §. n. 8. diximus ex *c. Ex parte de reser. l. si quis ex aliena. x. de iudic.* Prætoris est æstimare, an sua sit iurisdictio. Unde liquet dictum illud, *Nemo iudex in propria causa*, sic intelligi, quod non permittatur, ut quis directè, & intuitu proprii commodi cognoscat, & de finiat litem; nisi privilegio munitus sit, ut de quibusdam in Bohemia, Arragonia, & Navarra testatur *Caramuel. in Theol. fundam. nu. 824. v. Decianum l. 4. de 42. Oldradum Consil. 7. Layman. l. 3. tr. 6. c. 2. Phil. De-*

cius in *¶. T. de iurisd. om. iud. l. Qui iuris*
dicitur.

Dub. 2. An Iudex domicilii, vel originis de delictis alibi commissis iudicare possit?

R. Cum inquisitio instituenda est, non posse: posse autem ad instantiam accusatoris *Bart. in l. ficti. §. fin. ¶. de accus. c. Cum contingat. de foro comper. & ibi Ioan. Andr. & Panor. c. fin. eod. tit. Odofred. in T. de comper. iud. addit. §. 1. vers. 6. Maranta Par. 6. iudicior. §. Sexta, n. 140. & seqq. Cynus tamen Bart. & Bald. ac communiter omnes in l. 1. c. de sum. Trinit. & fide Cath. existimant, etiam per viam inquisitionis iudicem de micilii vel originis cognoscere posse de delictis alibi perpetratis. In quo casu teneret remittere reum Iudici delicti ante sententiam, quando scilicet requirit, *Auth. ut nulli. iud. §. si verò. Coll. 1. Secus post sententiam. Tunc enim remissio locum non habet. Dynus in l. Relegatorum, §. interdicere. ¶. de interd. & releg. Alex. in cit. c. Auth. ut nulli. §. sententiam. v. Franc. Marcum Par. 1. Decis. aur. q. 989. Sed Decianus l. 4. c. 16. multis in utramque partem adductis conciliari diversas opiniones putat, dicendo, iure Canonico affirmativam procedere, ut de quolibet crimine Iudex domicilii inquirat: iure civili verò negativam, ut non permittatur inquisitio, nisi ex eodem delicto etiam Iudex domicilii & originis latus sit, vel in damnum aliorum ex eadem communitate redundet. Nemo enim sine accusatore damnatur, *l. Rescripto. §. Accusatorem. ¶. de muner. & hon. Et non est permessa inquisitio, nisi in casibus expressis. l. 2. §. si publico. ¶. de adult. Denunciatio legis, hominis, vel rumoris antecedit, necesse est. v. Tholos.***

l. 32. c. 6. Treutler. Vol. 11. Disp. 31 n. 1. Bidentbach. q. 1. & 11. Marant. lo. cit. v. infra Tit. 16. §. 1 n. 12.

Dub. 3. Quam scientiam sequi debeat Iudex, suam, an aliorum?

Multorum etiam Theologorum, qui *S. Tho.* sequuntur *2. 2a. q. 67. ar. 2.* opinio est, secundum allegata, & probata pronuntiandam Iudici sententiam esse quamvis aliunde certò noverit, innocentem esse, qui accusatur. *Rationem dant,* quia Iudex persona publica est, ac proinde debet non suam, quæ privata est, sed publicam scientiam sequi. Huius opinionis auctores, ut *Silv.* notat *v. Iudex §. 2. n. 4.* tres distinctiones in mente habent.

Prima. Nocens quis esse potest duobus modis, facto nimirum, si verè deliquit, & iure, quia convictus est. *Secunda.* Veritas duplex est, facti, seu rei, & iuris, seu præsumptionis, sic de facto vera aliquando falsa sunt præsumptione iuris. *Tertia* scientia, & conscientia Iudicis spectari dupliciter potest, nimirum ut est persona privata, & in quantum est publica: quæ diversitas etiam in confessario reperitur. Publicam personam in iudicio gerit, & eatenus condemnat reum ex allegatis & probatis convictum. Verum hæc dura nimis, & inhumana commentatio videretur, & ratio qua nititur benè penderata non convincit. Iudex, aiunt, persona publica est, fateor, ita tamen, ut non seipsum exuat, & conscientiam suam negligat. Confessarius etiam persona publica est, non iudicabit tamen contra conscientiam suam: ita credet accusanti se, ut sibi cum evidentem in contrarium notitiam ha-

bet, fidem non derogat *V. Sanch. l. 6. Conf. c. 1. d. 17.*

R. igitur i. Iudex ad mortem non potest condemnare eum, quem certo scit innocentem esse, quicquid in contrarium adferatur, ac potius officio suo renunciare, quam iniquis testibus consentire debet.

Probat. Nulli licet contingere, & usurpare sibi rem alienam nec merito accedere ad non suam, quam certo novit suam non esse, quamvis mille testes affirmarent esse propriam, ergo nec licet innocentem certo cognitum morti tradere. Cōsequētia videtur esse manifesta. Ideo namque non licet rem alienam sibi usurpare, quia intrinsecē malum est, facere alteri iniuriam: at similiter intrinsece malum est, occidere hominem innocentem, *confirmatur.* Propterea constitutum est, ut iudex sequatur notitiam publicam per allegata, & probata comparatam, ne sequendo propriam à veritate, iustitia aberret. Ergò quando evidens est, iudicium iniustum fore, si locum habeat testium falsitas, non potest, nec debet eam iudex sequi, *Adrian. quod l. a. 6. art. 3. Hugo Card. Abbas Imol. Lyr. in c. 23. Exo. Ang. V. Iud. Rosell. eod. Abb. in c. super quest. Petr. Navar. l. 2. c. 3. n. 161. Sa n. 13. Less. c. 29. d. 10. Laym. l. 3. tract. 6. c. 2. n. 8. Az. 111. l. 2. c. 2.*

R. 3. Idem dicendum est de causis non capitalibus, ubi agitur de privatione bonorum, famæ, exilio, & similibus. Hanc opinionem esse originaliter Hugonis existimat. *Silv. V. iudex l. 1. n. 4.* quem sequitur *Covar. & Angelus* quamvis de his facilius concedi possit condemnatio materialiter iniuste cum reipub. multum interfit iudicia non pendere ex scientia

privata iudicum. *Ratio*, tam est intrinsecē malum cooperari iniuriæ alterius, quā condemnare innocentem, ergo iudex contra scientiam, & conscientiam suam non potest pronunciare aliquem esse dignum infamia, exilio, vel amissione bonorum. Hoc enim in mente ipsius falsum est, & iniquum, non secus, ac crucem, vel gladium meruisse *Confirmatur.* Viro honesto, & inter suos nobili, infamia, & similis pœna nihilo levior imo subinde gravior morte videtur, & à quibusdam præoptatur, *V. Decianuul. 2. c. 14.*

Nec habet illud à *Lesio* allatum Respublica dominium habet in bona temporalia subditorum, Quis enim nesciat, dominium illud limitatum esse, & subiectum prudentiæ & æquitati alias quacunque ex causa licebit spoliare cives, quod est tyrannorum. Quamobrem *Soto l. 3. q. 4. n. 5. & Arrog. 2. 2. q. 60. art. 5.* dicunt condemnatum per eiusmodi sententiam materialiter iniustam non privari dominio bonorum suorum, & ius habere recuperandi illa, si scandalum absit, eo, quod quod mens reip. non sit, aliquem bonis suis propter falsas allegationes spoliare.

Dub. 4. An pro veritate eruenda liceat iudice simulatione uti?

Simulatione, dico, aut fictione, non autem fraude, dolo, mendaciis, quæ semper, & ubique prohibita, punienda, non adhibenda magistratui. *l. Cum hi §. sed cum lis. x. de transact.*

R. Iudici permittitur simulatio ad bonum finem. Nihil enim interest ad iustitiam, apertè pugnemus, an ex insidiis, modo iustum sit bellum, & bona intentio,

intencio. *T. Aug. l. qq. 6. q. 10. relat. in c. 2. 23 q. 2. Item c. in mandatis. dist. 43.* legimus licere nobis aliquando prudenter eludere proximum. Adde exempla bonorum iudicum. Salomonis *l. 3. Reg. c. 3.* qui simulavit se infantem in duas partes divisum, aut ex affectu matrem ipsius cognosceret. Claudii Augusti, qui finxit se velle, ut mulier, quæ falso negaverat se matrem esse, connubia iungeret adolefcenti, quod ne admittere cogeretur, veritatem confessa filium recipit, Carolus M. pari artificio usum ferunt. Cum enim ignoraret, uter duorum pater an filius commisisset homicidium, simulavit utrumque suspendio necaturum: quo territus pater, ut filius servaretur, se homicidii auctorem esse confessus est. Verum ista *Laymannus l. 3. tit. 6. n. 13* non probat, tum quia ex circumstantiis non tam simulationes, quam mendacia esse videntur, tum quia reus cognita delusione retractare poterit, tam denique quis in commerciis quoque approbanda forent, quod valde noxium reip. Opus propterea est sale prudentiæ & discretionis,

Dub. 5. An liceat iudici facta impunitatis promissione veritatem elicere, & secundum eam capite damnare?

Pro affirmativa opinione citatur *Archid. in c. utilem. 22. q. 2.* ubi refert ab aliquibus excusari. *Alexandrum IV. Pontificem*, qui dispensatione promissa induxit Episcopum quendam Simoniacum, ad confitendum Simoniacæ crimini, quo factum ipsum depoluit. Idem sentire putatur *Geminianus in c. Nos in quinquam 2. q.* ubi asserit, eiusmodi confessionem præiudicare. *Felinus* licet consentiat prædictis,

memorat tamen, vidisse se, aliquos iudices, qui eiusmodi simulationes execrarentur. Et merito, neque enim licet scere mala, ut eveniant bona, *ad Rom. 3. v. 8.*

R. Igitur non licere iudici ex tali confessione sententiam condemnationis ferre, sed fidem ipsi servandam, cui impunitatem promissit. Siquidem omnis iusta promissio, servanda, & studiosè agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. *c. Antigenus c. qualiter de pallis. l. 1. c. de pallis. Non minorem C. de transact.*

Limitat tamen *Decianus l. 2. c. 15. Primo* nisi postquam reus sciret, impunitatem sibi promissam non esse servandam, nihilominus ratificaret confessionem suam. *Secundo*, quando iudex in conscientia sua certus esset indubitata certitudine, puta, si vidisset reum delinquere. Hoc enim casu licere quocumque confessione dolo extorquere, quia certus est iudex non damnatum iri innocentem, sed nocentem.

Dub. 6. An iudex inferior mutare & corrigere sententiam suam possit?

R. 1. Definitivam sententiam à se prolatam semel iudex inferior nunquam mutare potest, *l. iudex c. de reb. iud. c. in literis de off. de leg. Silv. Ang. Tabien. & communiter alii.* Ratio, quia post latam sententiam definitivam extincta est potestas iudicantis, adeo, ut immutare nihil possit, quamvis nova instrumenta exhiberentur, ex quibus videret iniustam sententiam esse. Excipe 1. si superior iudex de novo præcipiat cognitionem, & resumptionem causæ iam decisæ. 2. si absente altera parte tulerit sententiam. Nam si adhuc sedente illo pro tribunali venerit, suasque

que rationes exhibere velit, audiri debet. 3. si de negotio principali sententiam tulerit nulla mentione facta de accessoriis scilicet fructibus vel redditibus: vel si non damnavit ad expensas adversarium. Tunc enim eadem die corrigere sententiam licet. *l. Paulus* *π* *de re iud.* 4. excipitur crimen hæresis. In hoc enim speciale est, ut pœnam per sententiam impositam iudex minuere possit. *c. ut commissi*, §. *ult. de hæred. in 6. Maran. p. 6. de ord. iudic. s. expedita secundan. 7. Siman. in Enchir. tit. 64.*

R. 2. Interlocutoriam sententiam quilibet iudex mutare potest. *c. Qualiter* *l. de accus. Bart. Panorm. Iason. & alii communiter.* modo de purè interlocutoria intelligas. Nam de ea, quæ vim definitivæ habet, dubitare licet. *Francus c. cum cessantia. de appellat.*

Limita 1. si ab interlocutoria sit appellatum, & iudex à quo inhibitus est per iudicem appellationis. 2. si decem dies à data sententia effluxerunt. Tunc enim ad revocandum requiritur consensus illius, pro qua lata sententia est. *Francus Marcus p. 1. Q. 647.*

R. 3. Declarare vero sententiam sive definitivam sive interlocutoriam permittitur cuilibet iudici, modo in continenti fiat, & non nisi quod ambiguum est; declaratur. *Glo. in cap. 1. de postul. prelat.*

Item potest iudex eodem die post sententiam laram supplere accessoria, ut notat. *Lud. Roman. in suis singularib. per l. Paulus l. 1. de re iudicata. Piasecius p. 2. c. 4. n. 10. De hære instalatus Tit. 12. §. 1. & 2.*

Dub. 7. An quomodo iudex pœnam legibus constitutam remittere possit?

R. 1. Cum reip. vel partis adverte interest, nullus iudex remittere pœnam legibus sancitam potest. Ideo enim potestas publica illis communicata est, ut iniurias, & damna tum publica tum privata, quoad fieri potest, impendant, nec suo, sed legum arbitrio ius dicant. *VVeisenbec. l. 48. π. tit. 19. Bronchorst. Cent. 1. n. 7.*

R. 2. Supremus iudex, cui totius reip. cura commissa est, pœnam remittere potest, si reip. expedire existimet. *l. 27. 31. π. de pœn.* Imo conandum semper illi, ut interpretatione legum pœnæ mitigentur potius, quam exasperentur, *l. interpretatione π. de pœn. c. in pœnis. de reg. iur. in 6. S. Thom. 2. 2. q. 76. a. 2. & ibi Bannez.*

R. 3. Iudex pœnam legibus statutam nec augere, nec minuere debet, sed intra limites commissionis suæ consistere. *l. 27. sup. cit.*

In arbitrariis aliud iudicium est. Aliquando enim propter peccandi licentiam augenda pœna, aliquando propter rei humiliationem & pœnitentiam minuenda est, ut *Menochius prolixè tradit. & Theologi communiter.*

R. 4. Iudex pœnam remittens contra iuris dispositionem, ad restitutionem tenetur communitati, vel accusatori, quando ipsius interest: si verò augeat plus æquo tenetur reo. Ita *Ostiens. Raym. Caietan. in sum. Silvest. Bann. l. cit. Reginald. l. 25. n. 654. & seqq. Tholos. l. 32. c. 27. Fachin. l. 9. c. 45. Tuñhus V. Pœna Concl. 255.*

Dub. 8. An, & quomodo munerum acceptio iudicibus interdicta sit?

Certum est, eam munerum acceptio- nem, quæ fit animo pervertendi iudiciū & oppri-

& opprimendi veritatem, per se, & intrinsecè malam esse ac proinde de illa non disputamus, sed de ea quæ legibus permittitur, vel prohibetur.

R. 1. Sæcularis iudex tam ordinarius, quam delegatus ex concessione legum civilium munus aliquod seu precium accipere potest. Ita *Azo. in sum. l. 3. §. 2. Angelus, & alii quidam, quibus favet Auth. de iudicibus, qua incipit à Zenone §. Ne autem collat. 6.* dicitur primo, si lis fuerit de re, quæ excedit summam centum aureorum, possit iudex in principio litis duos aureos accipere ab utraque parte, da ut qualibet duos det, & in fine litis eorundem quemadmodum *Glo. interpretatur.* Deinde, si non attigerit res prædictam summam, nihil accipere possit. sed quid quid de iure communi sit, alia alibi permissio, vel prohibitio, & consuetudo est, quam sequendam esse. *Azo. tit. & alii DD. monent.*

Quod vero *Auth.* citatam attinet, non nisi de pedaneis iudicibus loquitur, qui cum exiguo stipendio minutiores causas tantum cognoscebant: ac proinde nihil generatim constituit, quemadmodum à *Silvestro* observatum est. Quin potius munera omnia etiam minimi valoris prohibentur iudices accipere. *l. plebiscito. tit. de off. pres.* Plebiscito continetur, ut ne quis præsidium munus donumve caperet, nisi escaletum, poculentumque, quod intra dies proximos prodigatur. In eundem sensum *§. 2. solent etiam tit. de off. procons.* legimus, non munera illi, sed Xeniola, & edulia permitti. Certè, si munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum *Exo. 23. omni-*

bus, & ubique merito prohibentur. *Cor. nel. in loc. cit. Thol. l. 28. c. 12.*

R. 2. Quod iudices Ecclesiasticos attinet, aliud iudicium est de ordinariis, aliud de extraordinariis, & delegatis. Ordinarii, quales sunt Episcopi, & Prælati, nullum omnino munus, aut donum accipere possunt, ne esculenta quidem & poculenta, quia ex beneficio suum stipendium habent. *Cum ab omni. de vi. & hon. cler. Molin. disp. 84.*

Excipiuntur tamen duo casus. Primus est, quando Episcopus consecrat Ecclesiam. *c. cum sit Romana. de Simon. Secundus* quando visitat diœcesim. Tunc enim procuratio debetur, id est, victualia. *c. Cum Apostolus c. Nuper de censib. Conc. Trid. sess. 24. c. 3.* Similiter iudices delegati summi Pontificis, quia stipendium habere non solent, accipere possunt, quod sponte pro alimonia, cibo, & potu effertur. *c. statutum §. insuper de rescr. in 6.* cui consonat textus *c. cit. cum ab omni* ubi *Innocentius* non reprehendit iudices, quod necessaria sumerent, sed quod præter expensas victualium pro salario paciscerentur, addita causa *Cum vobis Ecclesiastici reditus sint deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis.*

Ex quibus infertur, si cui iudici defint reditus pro vita, à litigantibus non modo accipere, sed etiam exigere posse necessaria.

Dices si non iure scripto, consuetudine tamen approbata videtur munerum acceptio. *R. Cardinalis,* consuetudinem, quæ ab exactione ortum non habet, excusare. *Silvester* autem non valere eiusmodi consuetudinem dicit, & sequentes illam non excusari à peccato mortali ac

liacrestitutione: quod universaliter acceptam viderur æquo durius, quia non desunt causæ accipientium, qui primo loco allegabunt puram intentionem; deinde benevolentiam offerentium; denique laborem, & diligentiam, quam debito maiorem adhibuerint. Certè non audebit *Silvester*, & qui vis alius dicere, munus acceptationem moderatam intrinsecè malam esse, quo admissio per rectam intentionem purificatur. Nec obstat, quod in *cap. cit. legimus. Non obstante consuetudine in contrarium.* quia intelligi potest de consuetudine, quæ usque ad illius decreti conceptionem fuit, non autem de illa, quæ futuro tempore invalesceret. Non sunt damnandi igitur iudices, qui secundum receptam, & præscriptam consuetudinem munera accipiunt, præsertim minora. *Zerola par. 2. V. Episcopus n. 16. Piasec. in praxi par. 2. c. 4. n. 10. Moscon. l. 2. par. 1. c. 4. Boetius decisioe aur. p. 1. Covar. in regula Peccatum p. 2. §. 3. n. 1. Barb. in c. Cum ad omni Devit. & bon. cler. Palao Tr. 32. disp. 2. pun. 21. §. 1. Cardin Lugo disp. 37. sect. 11. n. 132.*

Dub. 9. Quid dicendum de expensis in alimoniam, & vecturas?

R. 1. Iudex Ecclesiasticus ordinarius etiam quando ad locum iurisdictionis suæ proficiscitur, non potest pro necessariis ad iter, & victum accipere aliquid, quia reditus beneficii in eum finem habet, ut sibi suisque provideat. *Excipe,* quando ad consecrandam Ecclesiam vadit. *c. cum sit Romana. De Simonia,* vel pro visitanda provincia sua, ut dub. præc. indicatur. *c. cum Apost. de censib.*

Interea inquit, parcat sumptibus domiciliandi, quantum ergo domi consum-

plisset detrahere debet, in prædictis casibus, maxime si solito maiores impensas fecerit. R. teneri ad hoc *Glo. sentit,* cui alii plerique reclamant: quibus subscribimus. Alias citato iure nihil illis peculiare tribueretur, quod repugnat intentioni Pontificis.

R. 2. Iudex delegatus ad specialem aliquam causam, ius habet pro expensis exigendi, quod sibi necessarium est. *Glo. in c. statutum de reser. in 6. §. in super.* distinguens inter delegatum ad universalem causarum, & delegatos ad causam particularem: his permitti, quia salario carent, illis negari, quia ordinariis æquiparantur. *c. Romana de appell. Surdus de aliment. tit. 1. q. 76. Moscon. l. 2. p. 1. c. 4. Barb. in cap. cum ab omni de vita & honest. Cleric.*

Dub. 10. Quomodo iudex exequi sententiam suam possit, ac debeat? suppono executioni mandandam esse, ne illusorium reddatur iudicium, ne victor iure suo careat, & victi optabilior conditio reddatur, sed non est cuiuslibet manu præstare viribus, quod faciendum iudicavit, ideo provinciæ prætes subinde rem iudicatam exequi debet. *l. Ordo rei C. de execut. rei iudicata itaque.*

R. Iudex per se non sufficiens ad exequendum, alterius opæ, & auxilio uretur. Ac primo quidem, si de contractu lata sententia sit, & condemnati bona capienda, invocandus est iudex, cui permittitur ea bona invadere.

Secundo, postquam iudex ecclesiasticus censuris nihil obtinuit adversum laicos, pro executione implorare debet magistratum sæcularem, qui occupati bonis, vel persona rei cogat ad eum parandum.

rendum, Barb. in pratermiss *c. pernicioſa de off. ord.*

Iudex ſæcularis viciffim, eccleſiaſtici ope non raro indiget contra eos, in quos nullum coercendi ius habet. *Auth. ſed hoſte. c. de adult. Socin. in c. cum ſit generale de ſo. comp. c. Quoniam de off. iudic. ordinarii. ubi DD. notant Eccleſiaſticum, & laicum iudicem ad mutuuum auxilium tenere in exequendis mandatis & ſententiis. Alciat. in c. pernicioſa de off. ord. Covarr. l. pract. Q. 10 Myſing. decade 1. reſponſo 6. Gaill. l. 1. obſ. 117. Fragos. de regim. Reip. Diſp. 23, n. 86. V. infra tit. XI. de execut. S. I. & ſeq.*

Illud eſt discriminis, quod eccleſiaſticus iudex laicum cogere poteſt cenſuris & penis ſpiritualibus a conferendum auxilium pro exequenda ſententia; ſæcularis vero eccleſiaſticum cogere non poteſt, ſed ad eundem illi eſt metropolitani, qui interiore ſe Episcopum aliumve iudicem impellat ad ſubveniendum. *Sic Abbas. & Alciatus in c. 1. de officio ordinari. dicens eſſe communem opinionem.*

Præterea notat *Ign. Lopez. in pract. crim. c. 154.* doctrinã hãc locũ habere non tantum in cauſis criminalibus, ſed etiam in civilibus, Item delegato iudici eccleſiaſtico non eſſe implorandum à iudice ſæculari auxilium, niſi ordinarium ſuum prius convenit, qui rogatus, ſi nequeat aſſiſtere, & pervincere, tunc demum ſæcularis brachii accerſendum robur eſſe. A multis tamen contrariam opinionem teneri fatetur, qui velint, non obligari delegatum, licet poſſit, ordinarium ſuum prius convenire, ab eoque ſubſidium depoſcere. *Innoc. Abb. & alii in ſ. ſit. de off. ord. Covarr. l. Practic. queſtionem*

c. 10. S. ead. ratione Armilla V. Iudex. n. 15.

Dub. II. An, & quomodo iudex recuſari queat?

Recuſari iudicem dicitur, qui legitimam exceptionem adfert, cur nolit ab eo cauſam ſuam cognoſci, & iudicari. *c. ſuſpicionis de off. delegati c. Cum ſpeciali. de appell. c. Quia ſuſpecti 4. q. 5 hoc poſito.*

R. Suſpectus eſt iudex, & recuſari poteſt, *Primo.* quia adverſæ partis conſanguineus eſt. Quod extendant aliqui ad affines, & conſanguinitatem ex damnato concubitu ortam. Quouſque autem conſanguinitas porrigatur, non ſatis liquet. *Gloſſ. ad leptimum* uſque gradum extendit: hodie autem quia uſque ad decimum ſucceditur à conſanguineis, eam durate affectus præſumitur. *c. poſtremo de appell. ubi Barb. magno numero DD. cit ſecundo.* ſuſpectus eſt advocatus nec permiſſum eſſe iudex in eadem cauſa, in qua advocatus fuit. ſi tamen iudicaret, & ſententiam ferret, non fore nullam exiſtimat. *Steph. Gratianus.* Similiter advocatus non poteſt eſſe aſſeſſor in cauſa clientuli ſui. *Silveſt. V. advocatus n. 2.*

Tertio recuſari poteſt, qui alias contra me pronunciavit, & à cuius ſententia appellari. Aliqui tamen hoc in arbitrium iudicis reiiciunt.

Quarto ſuſpectus eſt familiaris domesticus aut comenſalis, & amicus, ſive alia coniunctione, vel nexu devinctus adverſario meo.

Quinto, ſi habeat ſimilem cauſam illius, in qua eſt deputatus iudex. Denique ex qualibet etiam levi, & modica cauſa ſuſpectus recuſari poteſt, ſed recuſatione in ſcripto oblata. *Gaill. l. 1. obſ. 33.*

Omnia hæc colliguntur ex *c. 36. de appell.*

pell. & limitari possunt non uno modo, præcipuè autem, quando persona est valdè religiosa, & inculpata vitæ, quæ qualibet suspitione fortior, non sineret litigantes de corruptione iudicii futurâ sollicitos esse. *V. Barb. in c. Postremò de appellat. speculat. tit. de iud. de leg. §. superest. la-son. in l. apertissimi. C. de iudic. Maranca parte 6. tit. de appell.*

Dub. 12. An iudicis excommunicati sententia valida sit.

R. Omnia acta iudicis excommunicati, qui publicus ac nominatim denunciatus est, & imprimis sententiam ab ipso latam invalidam esse. *c. ad probandum de re iudica c. Veritatis & dolo, & contumacia. Idem Theologi agnos. unt in 4. dist. 18. 20. & 2. V. Avitam. de Censur. par. 2. c. 6. d. 6. dub. 3. ubi monet, si plures cum excommunicato sententiam proferant, eorum sententiam nullam fore. Si verò arbiter dilectus fuerit consensu partium, malè quidem faciet consentiendo, & tractando negotium, quia tamen non est actus iurisdictionis, sed conventio quædam, quod iudicaverit, validum erit. *Marantap. 4. pag. 114. Snar. V. disp. 16. sect. 1. n. 6. Navarr. c. 27. specul. tit. de advocat. §. 1.**

Dixi. Si publicus, & nominatim denunciatus sit. Nam eorum qui tolerati sunt, in utroque foro acta valida censentur, ne quidem absolute sacramentali excepta. Et si communicare nobis cum illis permissum est, hoc est, tractare ea, quæ in civili vita solent, consequitur, ut conventiones contractus & similia vim suam obtineant, ne alioqui tolerationis nullus effectus, & fructus sit. *Abb. in c. cit. ad probandum, Felinus ibid. n. 3. Avila par*

2. c. 6. disp. 6. dub. 3. Toletus l. 1. c. 13. n. 7. & 23. Barb. in prætermis. c. intelleximus de iudic.

Nota actor quoque, si excommunicatus est, à limine iudicii repellendus est. *c. Excommunicamus de bar. in 6. Anto. Cacchus l. 3. instit. p. 325*

R. Tribus modis. Primo, ratione iudicis incompetentis. *c. Etsi clerici de iudic.* Hic defectus omnium maximus, & insanabilis censetur.

Secundo, ratione actoris, si nimis prohibitus sit, ut pupillus & minor. *l. properandum C. de iudicis. l. Cum & minores & ibi Baldus C. si adu. rem iudicatam.*

Tertiò ratione materię, quæ non subest tali iudici, ut patet in causis Ecclesiasticis, *c. 2. decernimus de iudic. & alibi passim.* Adde defectum in modo procedendi, qui quando circa substantiam est, non minus reddit sententiam nullam, ac reliqua superius enumerata. *V. Marantam. p. 6. §. Expedita secunda. ubi triginta modos enumerat, quibus iudicium nullum redditur.*

Porro nullitas in iudicio duobus modis proponi consuevit, principaliter & incidenter, ut *Bart. declarat in l. ff. expresim. col. 6. V. nunc aliqua videamus.* Principaliter, quando sola, & ab aliis separata implorato iudicis auxilio proponitur. Incidenter, cum petitur ex integro super negotio principali pronunciari. Tunc enim simul de nullitate cognoscendum erit. *V. Vancium de nullitatibus in Rubr. Quot & quibus pag. 98*

Dub. 13. Quod modis finiatur iudicium?

R. Tribus. Primo, tempore seu termino elapso, qui in criminalibus est bien-

nium

nium, incivilibus triennium, quo finito perempta instantia est. Hodie secundum Concilii Tridentini dispositionem. S. 24. c. 20. causæ omnes ad forum Ecclesiasticum spectantes coram ordinario in prima instantia decidi, & infra biennium terminari debent; alioqui post id spatium liberum est partibus, vel alteri illarum iudices superiores alias tamen competentes adire.

Secundo finitur prolatione sententiæ. Nam re iudicata nihil superest amplius discutendum, vel executio, vel appellatio faciendæ. *c. iudicium de re iud.*

Tertio prohibitionem, ac status mutationem, ut si iudex superior ad te causam trahat, vel alium ob finem partibus silentium imperet, aut iudicii processum veteret. *l. iudicium tit. de re iud. 31. v. iudicium n. 2. Wesenbec. l. 5. tit. 1. n. 15. Azor. 11. l. 13. c. 15. Q. ult. Roder. To. 17. tit. 12. c. un. Schneidervin. l. 4. instit. tit. 19. n. 14. Gerson. Tract. 14. de correct.*

Dub. 14. Quæ sit pœna temerè litigantium?

R. Triplex jure civili statuta est, una 50 librarum auri. *l. ab executione. C. quorum appell. non recip. Glo. ibid. in v. Multandos.* Altera pœna est extraordinaria ad arbitrium iudicis. *l. eos. §. Ne temerè. C. de appellat.* Tertia pœna est amissio causæ, & nota infamiæ. *l. à proconsul. b. C. de appell. Bartol. ibid. Institut. l. 4. T. 16.*

Iuris Canonici pœnæ mitiores sunt, ut D. D. notant in c. 5. *Cum appellationibus frivolis. in 6.* ubi dicitur, condemnandos esse in expensas, qui frivolam appellationem, hoc est, cuius nulla legitima causa reddi potest, fecerint, idque eodem die. Quæ verò appellationes mereantur

prædictam pœnam, arbitrio iudicis relinquendum tradit Menoch. Casu 197. num. 7.

In Camera Spirensi temerè litigantis pœna arbitraria est, pro magnitudine causæ, & qualitate personæ, & condemnari solet ultra expensas etiam procuratori fisci in aliquot marcas auri puri, vel argenti. Vtinam hoc sapè fieret, exclamant Andr. Gail. l. 1. obs. 152. ut talium pœnarum metu à temerariis appellationibus abstinerent calumniatores. Præclarè, si aures cupiditati natura dedisset. Tuschus in Lit. L. Concl. 378. Roman. Singul. 38. Menoch. de arbitrar. Casu 445. Tholosan. l. 47. c. 1. num. 5. 6. & seq. Schneidervin. l. 4. Instit. T. 16. §. VI. adversus & sequ.


Odibiles certè sunt, quicumque lites amant, & perversi vocantur. *Prov. c. 16. v. 28. Nec servos DEI decet involviri, & contentionibus. c. olim. de accus.* Nam unde lites, & bella, nisi ex concupiscentiis, quæ militant in cordibus nostris? *Iacob. c. 4. v. 1. V. Decianum. l. 3. c. 4. num. 9.*

Dub. 15. Quæ pœna maneat Iudicem, qui in officio suo deliquit?

R. Iudex sive ordinarius, sive delegatus qui contra conscientiam, & contra iustitiam iudicans in gravamen alterius partis quicquam fecerit per gratiam, vel sordes, ab executione officii per annum suspensus est, teneturque ad estimationem lites parti læsæ. Quod si ita suspensus divinis se ingesserit, irregularitatem incurret, salvis aliis constitutionibus, quæ Iudicibus improbis pœnas constituunt. *c. Cum aterni. de sent. & re iud. in 6. Abb. Archid. Gemin. lo. Andr. Virianus, Alagona, & alii apud Barb. in cit. cap.*

Quod dicitur, *salvis aliis constitutionibus*, ad leges civiles spectat, secundum quas corruptas prece, vel precio Iudex, vel pœna capitali, vel deportatione in insulam punitur, arbitrio Iudicis, qualitatem delicti æstimantis ex l. *lul. repetundar. vel lege Cornel. de fals.* In particulari, si pretio accepto malè iudicaverit, sententia nulla est. l. *Vanales, C. quando provocare non est necesse.* Si per gratiam, sententia est aliqua, sed rescinditur per restitutionem in integrum. *Glo. in l. Servo*

invito. §. Cum prator. tit. ad Trebell. & prætereà litem facit suam, cum notâ infamiae l. fin. C. de pœn. Iud. qui malè iud. Quando Iudex corruptus est, & constitutiones Principum neglexit, in pœnam falsi incidit. l. *1. §. 1. tit. de falsi. Privatieriam dignitate, & officio potest. l. Iudices, & ibi Bart. ac Io. de plat. C. de Dignitatib. l. 10. Ang. Aret. in Tract. malef. v. procedamus ulterius. Farinac. in Praxi Crim. q. 111. à nu. 15. Marcus Par. 1. Decis. aur. q. 686. Barb. in c. Cum æterni. cit.*



TITVLVS III.

De ipso Processu Iudicii.

Res invenio modos procedendi. *Primus* exercetur per accusationem. *Secundus* per denunciationem. *Tertius* per inquisitionem. Neque permittitur Iudici aliam viam insistere, aut privatâ notitiâ, vel arbitrio lites decidere, ne multùm agendo nihil agat, seque pœnis non mediocribus obijciat.

§. I.

De Accusatione.

I. **Q**uod dici solet, sine accusatione iudicium non fieri, verum est, si nomen accusationis latè accipias, tam

pro verâ, ac formali, quàm pro æquivalente. Subinde enim facinus innotescit iudici per libellum oblatum, qui accusationem continet, aliquando per denunciationem, aliquando per querelam simplicem; aliquando denique evidentia facti, & forma clamorosa viam iudicii aperit. Hodie in plerisque regnis, ac provinciis constituti sunt Syndici, quorum munus deferre crimina, quæ vindictam merentur. Quin etiam de quolibet delicto inquirere iudex potest modo rumor, aut clamorosa fama præcedat l. *1. §. defensores tit. de muner. & honor. Tholosan. l. 49. syntagm. c. 5. lul. Clarus §. fin. Q. 3.*

II. **A**ccusatio formalis est delatio criminis